



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

55. Circumspecta. Romani &c. Constitutio qua Conventus S. Lucię in
Monte Civitatis Neapolitanæ, & Hospitium S. Petri de Alcantara Provinciæ
Neapolitanæ reuniuntur, & reannectuntur Provinciæ S. Petri ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

& Regularis Disciplina observantia expedire judicassent, super quo eorum conscientia onerabatur, ab eis executioni minimè demandata reperiebantur, ac ex diurna experientia compertum fuerat, quod eisdem Pauli V. Prædecessoris literæ tunc producebantur, quando prætendentes agnoscebant, se, votum ferentibus, vel non ferentibus dictis Prioribus, posse includi, vel excludi; adeò ut hoc tantum tenderet ad perturbandas dictas Provincias, & ad fovendas continuas discordias inter Religiosos, & ad validandam, vel annullandam ad proprium libitum electionem. Proindeque eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut ipsa circa præmissa solitum juxta antiquam praxim Ordinis, & Provinciarum præfatarum servari mandaret, nempe, ut præfatis Pauli V. Prædecessoris literis minimè obstantibus, Domus, seu Conventus, in quibus, tametsi numerus octo Religiosorum non aleretur, vel sustentaretur, in pristino ejus statu conservarentur, attentà spirituali utilitate, quæ ex assistentiâ, & fervore memoratorum Religiosorum in instruendis in mysteriis Fidei Populis earundem Partium proveniebat, prout Venerabilis Frater modernus Archiepiscopus Sanctæ Fidei in eisdem Indiis præfate Congregationi Cardinalium retulerat, ac insuper, ut hujusmodi Domorum, seu Conventuum Priores, & Vicarii voce, sive suffragio in electionibus Priorum Provincialium in posterum gaudere deberent: Itant electiones juxta tenorem Clementis, Pauli III., Gregorii, & Alexandri Prædecessorum præfatorum literarum exinde faciendæ, pro validis, & canonicis haberentur: Emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster supplicem hunc libellum remisit, audito Patre Magistro Generali Ordinis, referente Eminentissimo de Abdua, censuit, ac decrevit, servandum solitum, non obstante enunciato Brevis Pauli V., & aliis quibuscumque, Romæ x. Junii MDCCXII.: G. Cardinalis Carpineus: F. Arch. Nicæus Secret. Locus † sigilli.

§. 3. Cum autem, sicut dictus Didacus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti plurimum desideret: Nos ipsius Didaci votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & pænis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum præinsertum autoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis autoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate

scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Provinciarum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgitiis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prout fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Julii MDCCXII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

F. Oliverius.

C O N S T I T U T I O

L V.

Qua Conventus S. Lucie in Monte Civitatis Neapolitanæ, & Hospitium S. Petri de Alcantara Provincia Neapolitanæ reuniuntur, & reannectuntur Provincia S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano, eorumque dismembratio antea facta extinguitur, & aboletur.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta Romani Pontificis providentia exigit, ut quæ alias pro reducenda inter Religiosos Viros pace, & tranquillitate provide, prouderetque constituta, & ordinata fuerunt, si mutatis rerum, temporumque circumstantiis regulari disciplina, & observantia detrimentum adferre noscantur, in pristinum, ac debitum statum restituat, sicut conspicit in Domino salubriter expedire. Alias siquidem per Nos accepto, quòd inter Dilectos Filios Fratres Neapolitanos, & Hispanos Provincia Sancti Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum plures controversiæ exortæ reperiebantur, sicut nequibat, ut dicti Fratres habitatione, & rerum communione conjuncti, animis, & contrariis studiis non dissident, ac proinde expediebat eos ab invicem segregari: Nos motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicâ potestatis plenitudine, Conventum Sanctæ Lucie de Monte nuncupat. Civitatis Neapolitanæ, & Hospitium dicti S. Petri de Alcantara loci de Portici dictæ Provincia Neapolitanæ. Dicte ab eadem Provincia perpetuò separavimus, & dismembravimus, illaque sic separata, & dismembrata Provincia ejusdem S. Petri de Alcantara Regni Castellæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis iudem perpetuò univimus, anneximus, & incorporavimus. Volentes, & ordinantes, ut in illis Religiosi Hispani, qui deinceps Ministro Provinciali secundodictæ Provinciae pro tempore existentibus subiecti essent, habitarent, & collocarentur, alii verò primodictæ Provinciae Conventus,

Procemium.

Pontifex ad tollenda diffidia inter Conventum Sanctæ Lucie de Monte & Hospitium S. Petri de Alcantara dismembraverat à Provincia Neapolitana, eaque perpetuò univert Provinciam S. Petri de Alcantara Regni Castellæ,

qui

Sacra Congregatio decernit servari solitum non obstante contrario Brevis Pauli V. & aliis quibuscumque.

Pontifex eisdem Decretum confirmat cum clausulis consuetis.

qui octo tunc numerabantur, Religionis Neapolitanis, & Italis tantum remanerent, ac eadem primodieta Provincia octo Conventibus hujusmodi constants in futurum Ministro Generali, seu Commissario Generali Italiae Ordinis praedicti pro tempore pariter existenti, subjaceret, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die xv. Septembris MDCCII. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 1. Cum autem, sicut pariter accepimus, ob praesentes bellorum motus, interdictione inter Castellæ, & Neapolis Regna commercium, & communicationem Conventus S. Luciae de Monte, & Hospitium S. Petri de Alcantara praedicta; ac Religiosi in eis degentes à tempore eorum separationis, & dismembrationis, ac unionis, & incorporationis hujusmodi à Ministris Provincialibus secundo dictae Provinciae haecenus minime visitata fuerit, & valde dubitandum sit, quod cessantibus etiam bellis propter magna dictorum Regnorum ab invicem distantiam non raro sine debita visitatione, & correctione, veluti acephala remanere possint cum non modico Ecclesiasticae Disciplinae, & regularis observantiae detrimento: Hinc est, quod Nos pro commissi Nobis calitus pastoralis officii curâ, ne Regularis in Conventu S. Luciae, & Hospitio S. Petri praedictis disciplina propter praemissa excidat, sed ut semper in suo vigore conservetur, quantum cum Domino possumus providere volentes, de Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio à Nobis specialiter deputatae consilio, ac etiam motu, scientia, & deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine paribus, literas nostras praedictas tenore praesentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac proinde Conventum S. Luciae de Monte, & Hospitium Sancti Petri de Alcantara praedicta à secundo dicta Provincia S. Petri de Alcantara Regni Castellae, motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus harum serie perpetuò pariter separamus, & dismembramus, illaque sic separata, & dismembrata primo dictae Provinciae ejusdem Sancti Petri de Alcantara in Regno Neapolitano itidem perpetuò reunimus, & reincorporamus, illaque in pristinum, ac eum, in quo, antequam praedictae nostrae litterae emanarent, quovis modo erant, statum restituumus, reponimus, & plenariè reintegramus, ac tam illa, quam omnes alios Conventus ejusdem primodietae Provinciae S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano unico Ministro Provinciali, qui dilecto etiam filio Commissario Generali Familiae Cisfontanae dicti Ordinis, subjectus sit, subjicimus.

§. 2. Decernentes ipsas praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis Jus, vel interessè habentes, seu habere quomodolibet pretendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causa, propter quas praesentes emanarint, adductae, aut verificatae, & justificatae fuerint, aut quavis alia etiam quantumlibet juridicâ, piâ, & privilegiatâ causa, colore, praetextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vicio, seu intentionis nostrae, aut interessè habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retracta-

ri, in controversiam vocari, seu ad terminos juris, reduci, seu adversus illas apertitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu etiam impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicae Sedis Nuncios, aliove quoslibet quacumque praesentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non praefatorum Ordinis, Provinciae, Conventuum, & Hospitii, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis etiam dicto Ordini, ejusque Superioribus, & quibusvis aliis personis, & locis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxiii. Septembris MDCCXII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

F. Oliverius,

Ex novis juris causis hujusmodi dismembrationem annullat, eademque Conventum, & Hospitium reannectit Provinciae Neapolitanae cum suis clausulis.

x ad differtur um lupte - Petri tara ra-Proca, ea- perat e S. Al- leg- lar,